



Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 247. Et petijt Corpus Iesu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Princeps & senatorij ordinis, quām si vel mater Iesu vel quispiam discipulorum vel Christi consanguineorum, quorum maxima pars de populo erat, petivisset.

Domine cuius providentia non est numerus, Ecce dum mater tua, & discipuli tui solliciti sunt quomodo corpus tuum vel redimere vel recuperare possint, ut id honeste pro merito sepeliant, en adest homo & ludæus & Princeps Iudeorum pro consolatione tristis matris tuæ & discipulorum tuorum, petit & obtinet corpus Iesu ad sepeliendum, Omnis Dei providentia! Per hanc igitur providentiam tuam, mi Deus, unice rogo etiam atque etiam ut in omni tribulatione mea & angustia mihi adesse & succurrere opportunè digneris; maximè in mortis hora, quandationem redditurus sum de omni actione mea, cogitatu, verbo & opere.

§. 247. Et p̄sijt Corpus Iesu.

Finis huius accessus Iosephi ab Arimathia erat, ut peteret corpus Iesu deponi de cruce, ad sepeliendum iuxta morem Iudeorum, qui solebant deponere corpora mortuorum in patibulis, tum alias ob maledictum, tum propter magnum Festum imminens Paschæ, quo ipse Ioseph usus est argumento apud Pilatum, ut facilius obtineret, non enim poterat vel propria autoritate vel Caiphæ Pontificis vel Senatus-Consulio quia ius gladii perdidérant, & Romanis iure belli & fisci Cæsarij concesserant, unde debebat ab ipso Pontio Pilato præside Romanorum eam licentiam depônendi corpus Iesu & sepeliendi obtinere: neque detinebat ipsum contumatio, quam alij Principes & Seniores Iudeorum intendebat, ne irent cum Pilato ad prætorium, sed caritas & amor in Christum superabat illum timorem, & sic mortuum honorare satagebat quem vivum coluerat.

Bone Iesu sic & ego curam mortuorum habeam ex charitate ad sepelendum vel conducendum, ut exerceam opus misericordiæ, tuo doctissimo exemplo & huius Sancti viri ab Arimathia gratis & propter retributionem solam quam tu promisiisti faventibus opera misericordiæ in die iudicij: in quo dices; *Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Exerceam obsecro Domine ita misericordiam ut regnum promissum percipere merear cum hoc S. Iosepho &c. SS. Misericordiæ cultoribus. Amen.

§. 248. Tunc Pilatus iussit reddi Corpus Iesu. v. 59.

Ad petitionem tanti viri & Principis, & ob causas ab eodem allegatas iussit
Pilatus

